



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 92. Auxilia Castellæ, atque Arragoniæ Regum implorata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. tempore perennaturam cum Sede Apo-  
 A C 1494. stolica amicitiam. Scriptorum nonnulli  
 addebant, Bajazethem spondisse, se  
 Pontifici, Regique Neapolitano sex mil-  
 lia veteranæ militiæ equitum, totidem-  
 que peditum ministraturum, hæc ta-  
 men pacta ab Alexandro tam fideli silen-  
 tio occultata fuisse, ut non nisi longo post  
 temporis intervallo res innotuerit, ex ad-  
 verso Alphonsum minime tam cauta  
 taciturnitate usum fuisse, sed mox scede-  
 re acceptato, forte ut hostibus suis terro-  
 rem incuteret, rem propalasse. Nihilo-  
 minus Sultanus nihil eorum, quæ promi-  
 fit, adimplesse videtur.

## §. XCII.

*Auxilia Castellæ, atque Arragoniæ  
 Regum implorata.*

Eodem tempore summus Pontifex Fer-  
 dinandi & Isabellæ Castellæ, ac Ar-  
 ragoniæ Regum opem implorabat, eos  
 sollicitans, quatenus in Siciliam classem  
 mitterent, quæsito obtentu, ut hujus In-  
 sulæ saluti consulerent, re tamen ipsa, ut  
 opportuno necessitatis beneficio Neapo-  
 lis Regi succurrerent. Reges Catholici  
 Pontifici respondent, sibimetipsis non mi-  
 nus, quam Papæ Gallorum viciniam  
 quidem infestam esse; ast ad instruendam  
 classem magnam requiri pecuniarum sum-  
 mam



mam: hanc vero nuuc deficere. Magis <sup>Sæcul. XV.</sup>  
 adhuc exhaustum erat Alexandri æra- <sup>A.C. 1494.</sup>  
 rium, aliunde etiam is satis sibi com-  
 pertum habebat, quod perinde foret pe-  
 cunias illis commodare, ac eas dono  
 dare; opportune tamen eidem in men-  
 tem venit, quod Innocentius VIII. ejus  
 Prædecessor militiam sacram, quam cru-  
 ciatam vocant, in illorum regnis publi-  
 cari jussisset, cunctisque ad sustinendos  
 belli sumptus adversus Infideles concur-  
 rentibus concessisset Anni sacri gratias,  
 atque hac ex causa ingens pecuniarum  
 vis fuisset collecta dataque facultas Sedis  
 Apostolicæ Commissariis, ut pecuniam,  
 quæ penes eos deposita esset, annuente  
 tamen, ac jubente Curia Romana, Regi-  
 bus Catholicis concedere possent. Rex  
 ergo Catholicus hanc summam absque  
 Religionis sollicitudine in suos usus in-  
 sumebat, obtendens, quod ad interclu-  
 dendos aditus ad Dardanellarum fauces  
 classis omnino instruenda esset.

## §. XCIII.

*Pontificis monita a Galliarum Rege  
 neglecta.*

Interea temporis Carolus recuperandæ <sup>Comm. l. 7.</sup>  
 valetudini intentus Astæ hærebat, in <sup>c. 5.</sup>  
 qua urbe eum officii causa adibant Lu- <sup>Raynald. ad</sup>  
 dovicus, ejusque conjux, sed post bidui <sup>hunc ann.</sup>  
<sup>num. 16.</sup>

O o 5 moram